650.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE LVNÆ XIX. MENSIS FEBRVARII

MAGISTRO VALENTINO HYERAVLME DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An variolis apparentibus sit mittendus sanguis?

CORPVS humanum in sua conformatione, prima partium suarum stamina ex vtriusque parentis fœcundo semine recipit, perfectionem autem & incrementum à solo sanguine menstruo: illud à toto corpore deciduum ab eo vires habet, quas secum transfert in fœtum, vnde nati patris aut matris similes generantur, prout huius aut illius maior est efficacia, vnde firma sanitatis exurgit constitutio, vel magna in morbos propensio: hinc hæreditarij morbi, vt arthritis quæ ob nefandam intemperantiæ luem hoc seculo quàm prioribus multò frequentior & ferocior percipitur: vt elephantiasis quæ congenita vel inueterata nunquam, recens verò difficillimè sanari potest.

VISCERVM παρεγχύματα coagmentantur à sanguine menstruo naturâ sua laudabili & solâ quantitate redundante, quem non solùm patientis, sed etiam agentis causæ rationem habere censemus: ab hoc vt à semine pendet fœtus bona vel mala διάθεσις, sic vt qui laudabili nutritur sanguine sanus sit, qui vitioso morbosus, vt sæpe mulieres natos edant morbis obnoxios quibus grauidæ laborarunt, earumque rerum auidos quarum summo desiderio tenebantur: ac licet hic sanguis matris ratione purus sit, respectu fœtus impurus est habendus, atque adeò tam solidæ quàm carnosæ partes eius reliquiis inquinatæ semel expurgari debent, vixque vllus est qui aliquo ætatis suæ tempore variolis non corripiatur.

VARIOLÆ verò siue ἐκθύματα sunt pustulæ quæ toto corpore colore albo confertim erumpentes, bilis & pituitæ permistionem præse ferunt: ipso morbi initio corpus vniuersum, maximéque caput ingrauescit, ac plerumque grauissimo dolore afficitur, tument atque illachrymantur oculi, facies inflammata rubet, vox raucescit, respiratio crebrior ac difficilior euadit, pulsus celerior & frequentior, febris index: dein ingrauescente malo, qui intus latuit impurus humor die tertio vel quarto symptomaticè vt plurimùm foras prosilit, minùs quidem periculosè si pustulæ albæ aut rubicundæ apparuerint, magis autem si liuidæ aut nigræ: harum causa non est vis abdita demissa cælitus, sed ex primi alimenti reliquijs intus contracta labes, quæ feruido vel austrino cæli statu commota vasorum sanguinem ebullientem inficit.


TVNC temporis summa sunt omnia, ingens ac febrilis calor à natiuo specie dissidens totum corpus occupat, magna humorum adest putredo, & sæpe tanta virium oppressio, vt præsentis suffocationis periculum impendeat nisi quamprimùm remediis conuenientibus occurratur: feruor refrigerantibus & humectantibus extingui debet tum iusculis, tum enematis si aluus adstricta fuerit, potus sit non gelida vt in synocho imputri, sed ptisana ex hordeo integro, glycyrrhisâ, & oxalidis radice composita: leuius catharticum exhibere licet, vehementius nefas, nisi in declinatione morbi: neque multò tutior est vsus dictamni, gentianæ, scordij, theriaces, similiumve antidotorum, quæ putredinis febrisque causam augent, tantùm abest vt illam reprimere valeant.

PLVRIMÙM conferunt quæ frigore & adstrictione leui, spiritus & humores coercent, cuiusmodi est mali punici, citrij, medici, & vuæ acerbæ succus, aliaque acida, quæ suo frigore febri, siccitate tetris vaporibus, vtrâque qualitate putredini aduersantur: sed inter omnia venæ sectio primas tenet, hæc enim portionem humoris morbifici naturam opprimentis foras educit, æstuantem calorem citò minuit, corpus perspirabile reddit ac minùs putredini obnoxium: prauos humores ab internis partibus ad externas euocat, eâque ratione respirationem liberiorem ac faciliorem efficit, in morbis præsertim acutis semper exoptandam.


Ergo variolis apparentibus est mittendus sanguis. 97

Propugnabat Lutetiæ IOANNES FAYOLLE Marlensis, Anno R. S. H. M. DC. XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. IACOBVS COVSINOT.
M. PETRVS BEAVRAIN.
M. IOANNES TEXIER.



M. ROBERTVS TVLOÜE.
M. ANTHONIVS LE RAT.
M. DIONYSIVS LE SOV.



M. IOANNES DESGORRIS. *M. R.*
M. RENATVS CHARTIER. *M. R.*
M. ANDREAS DVCHEMIN. *Decanus.*

